# EVILMERODACH

## TRAGOEDIA

*AUTHORE*

## ΓYRRHO CREOPOLITA

P. A.

Aſsist. Galliae Soc. Jesu

4





ROMÆ, MDCCXLII.
Apud Franciſcum Antonium Anſillioni
in Foro Agonali.


---

SUPERIORUM PERMISSU.

TRagœdiam, cui titulus Evilmerodach jambico carmine exaratam à Tyrrho Creopolita P. A. nobis perlegendam, & examinandam traditam, Paſtoritio Nomine, communique ſigno edendam, ac promulgandam cenſemus.

Myræus Ropheaticus P. A. Cenſor.
Nicetas Phalantius P. A. Cenſor.
Panemus Ciſſæus P. A Cenſor.

*QVando ita viſum eſt Cenſoribus, qui Tragœdiam ſupra enunciatam perlegerunt, perlectamque probarunt, Paſtoritio Nomine illam edere, communique ſigno imprimere, jus eſto. Datum ex Cuſtodia Arcadum Neomenia Antheſterionis Olympiadis IↃCXXX. Anno II. Ab Ar. In. Olymp. XIV. Anno II. perpetuo læto.*

F. L. Cuſtos Gl. Arcadiæ.

*Nivil. Amar.*
*S. C.*

# PERSONÆ.

NABUCHUS Chaldæorum Rex.

ARTABANVS Vxoris Nabuchi Frater.

EVILMERODACH Filius Nabuchi, qui commentitio nomine Nadab appellatur.

BERADAN Artabani filius.

DANIEL Propheta.

ASAPH Supremus Militum Dux.

ARISBA Senex Evilmerodach olim Altor, & cuſtos.

## SCENA.

In Aula regia Babylonis.

# Argumentum.

ARtabanus Seniorum, qui tempore, quo Nabuchus ſylveſtres inter feras per nemora vagabatur, Regno præerant, facile primus, fretus ſanguinis propinquitate (uxoris quippe Nabuchi frater erat) operaque, & dolis Aſaph ſupremi militum Ducis, ſibi Chaldæorum imperium inique uſurpavit. Sed illius regnum unius diei ſpatium non exceſsit. Quo ergo die procerum, & populi ſuffragiis rex inauguratur, Daniel futurorum præſcius ſpargit in vulgus id, quod reapſe erat, legitimum Nabuchi hæredem Evilmerodach, quem fama extinctum perhibuerat, inipſa Babylonis regia incolumem vivere. Eo Evilmerodach ab Aula Perſidis aliquot annos ante venerat, ibique omnibus, ſi Danielem unum excipias, penitus ignotus morabatur, eratque Beradan Artabani filio intima familiaritate conjunctus. Mutata divinitus oris illius ſpecies in cauſa erat, ut alienigena omnium opinione putaretur. Inopino rumore com-

commotus populus, primũ muſſitare, apertam deinde moliri conjurationem. Id indignanter ferens Artabanus, vires omnes exſerit, ut à Daniele rumoris illius Auctore verum exſculpat. Sed mirum quanta dexteritate artes omnes Artabani Daniel eluſerit. Furore itaque correptus Artabanus, eum in arctiſsimum carcerem coniici jubet. Hoc rerum in articulo Nadab (quo commentitio nomine Evilmerodach appellabatur) ut Danieli vita periclitanti conſulat, conditionem ſuam Artabano retegit. Cum vero veteris formæ ne veſtigium quidem in eo Artabanus agnoſcat, ingenuum illius ſermonem tamquam artificioſam Adoleſcentis Danielem commiſerantis ſimulationem accipit. Hujus erroris gravior acceſsit cauſa. Nam Arisba Evilmerodach olim altor, & cuſtos, qui cum hæc agerentur poſt diuturnam abſentiam, Babylonem redierat, eum eſſe ſuum Alumnum Artabano coram, mordicus negat, & pernegat. Quin & ipſe Daniel, de cujus incolumitate agebatur, momenta omnia rationum, quibus

 veri-

veritatem ſuadere, Evilmerodach conabatur, ambiguis verbis refellit, & enervat. Aſaph hanc opportunè occaſionem nactus, Evilmerodach, utpote Danielis familiarem in communis criminis ſuſpicionem vocat apud Artabanum. Quamobrem etiam ipſe in vincula coniicitur.

Rebus ita ſe habentibus Daniel, cognitione cœlitus injecta noſcens Nabuchum in priſtinum ſtatum reſtitutum, regalem in hortum non procul ab urbe ſitum perveniſſe, Beradan conciliatore uſus Artabano pollicetur, ſi per ipſum liceat, eo cum Nadab proficiſci, ſe illinc cum Evilmerodach in aulam regreſſurum. Annuit Artabanus. Verum novam hanc Danielis fallaciam eſſe interpretatus, illuc Aſaph cum forti militum manipulo mittit, eo conſilio, ut Danielem coram populo, & in oculis omnium falſitatis convictum, capite plectat. Sed res longe ſecus ac ipſe putabat, accidit. Nam Nabuchus ibi & lætis militum, populique acclamationibus excipitur, & filium ſuum Evilmerodach, cui Deus

pri-

priſtinam oris ſpeciem reddiderat, non ſine omnium plauſu agnoſcit, & amplectitur. Rerum novitate territus Aſaph, veniam impetrandi ergo, ſuam, & Artabani doloſam machinationem omnem ſincere retegit; hominem tamen flagitioſiſsimum, & nulla commiſeratione dignum Nabuchus eadem morte, quam ille in Danielem impiiſsime moliebatur, juſtiſsime affici jubet, ejuſque caput reſciſſum Artabano, qui Danielis caput cupidiſsime opperiebatur, dono mittit. Poſtremo eo temporis momento, quo in Nadab, qui Genitoris ſui adventum præcucurrerat Artabanus re nondum plene comperta, ipſumo futurum eſſe regem per errorem putans gladio diſtricto irruit. Nabuchus opportune ſubit. Territus Artabanus hæret primo, deinde Nabuchum ſui infortunii auctorem diu exſecratus diſcedit, nec multo poſt coram filio ſuo Beradan, deſperatione adactus ſibi violentas manus iniicit.

ACTVS

# ACTUS PRIMUS

## SCENA PRIMA

Artabanus, Aſaph.

*Artabanus uxoris Nabuchi frater teterrimis agitatus ſpectris per ſomnum viſis, quam ob cauſam Danielem ſomniorum interpretem arceſſiri jubet. Illius animum dictis erigit, & confirmat Aſaph ſupremus militum Dux, homo flagitioſiſſimus, cujus ope Artabanus regnum non ſuum jam prope uſurpaverat.*

*Aſ.* OPtata demum fulſit Aſſyriæ dies,
Qua ſceptra capias. Jam faces Babylon (parat,
Lætoſque ſonitus. Mota plebs lentam exprobrans
Moram, gregatim compita, atque ædem ſacram
Concurſat amens. Ora ſed quænam aſperat
Tibi mæſta nubes?
*Ar.* Gerere Nabuchi vices
Poſtquam Senatus cepit, & veluti in manu
Depoſitum habere regimen imperii, nihil
Reliqui inauſum, pronam ut ad regnum mihi
Tutamque ſternerem viam. Exarſit magis
Sed tunc cupido, quum Augur admonitus Deo
Jubente, miſeri regis in lucem extulit
Penitus inauditum ante ſupplicium. Tuis
Tunc uſus, ut ſcis, arte, conſiliis, ope
Animos labantes impuli. Illecebris fides
Succubuit, Ipſos cura ſollicitos habet

Nec ulla proceres; regia an proles adhuc
Superſtes auras ducat; an letho dies
Clauſerit acerbo? Quidquid in votis erat
Jam teneo. Sævus attamen cordi incubat,
Prohibetque mæror gaudia.

*Aſ.* Unde ſed tibi
Cauſa eſt dolendi?

*Ar.* Noctis heſternæ ſopor
Quam dira [ meminiſſe horreo ] menti obtulit
Simulacra rerum! Viſus eſt rabidus Leo
Me ruere contra, jura quum populis darem
Præcinctus oſtro. Turba, quæ circum frequens
Affuſa genibus aderat, extemplo fugæ
Terga dedit. Ille murmure horrifico fremens,
Exerto, ab humeris purpuræ poſtquam decus
Detraxit ungui, regium abreptum meæ
Diadema fronti, tumidus impoſuit ſuæ,
In me rapacem mox pedem infigens, ſinum
Laniavit ore pronus, ac ſeſe diu
Cruore pavit. Omen! o ſævum. O! Deûm
Fatale monitum.

*Aſ.* Mille ſtagnanti in lacu
Deſcribit orbes pueri ut impactus manu
Lapillus undæ, ſpectra ſic mille excitat
Graviore pulſu bilis incurſans fibras
Cerebrique ductus. Pone fæmineos metus.
Niſi mentis æger, nemo Cælicolas putet
Somno jacentes alloqui. In magnis timet
Si rebus aliquis, primus ego ſum, quem tamen
Non vana terrent.

Pa-

*Ar.* Patuit exemplo ſatis
Quam ſint timenda ſomnia. Inopino cadens
Bipennis ictu, ad aſtra quæ tulerat caput,
Totumque ramis arbor umbrabat nemus
Menti ſedet adhuc
*Aſ.* „ Plura ſic forte accidunt;
„ Ut illa credat quiſque conſilio regi.
Nullá arte ſæpe talus ad nutum cadit
Facie ſupina præferens numerum, cupit
Quem luſor avidus. Sed ut ut hæc fuerint, moras
Abrumpe citius. Plebis inſanæ favor
Se vertit aura levior. Audaci cape
Imperii habenas dextera. En propero. Statim
In æde cogam principes regni viros,
Qui more patrio inaugurent regem.
*Ar.* Inſtrue
Sic res, ut omen noctis infauſtæ leves
Abeat in auras. Militum in cœtu palam
Sæpius id inſta, in regna ferales vices
Invehere regem, qui ſit inviſus Diis.
Nabuchus odio fuerit an Superis, docet
Inſueta pœna. In ora, nemo eſt, quod ſciam,
Ferina verſus. Jure metuendum adiice,
Ne pœnam eandem Patris imitator ferat,
Pariterque Natus ungula humentes agros
Signet biſulca. Natus at certo diem
Obiit ſupremum. Quippe quum Genitor fuga
Eriperet odiis ſeſe, & armatas, petens
Nemorum receſſus plebis effugeret manus,
Diſceſſit ille, ſeptima & nunc eſt hiems,

Quin

Quin quidquam ad aures fama pertulerit. Patrem
Forſan ſecutus jacuit immanis feræ
Morſu peremptus, jacuit aut lenta fame.

*Aſ.* Stirpem cruentam Numen extinxit; diu
Pax alma, ut exul, te duce huc tandem gradum
Ad nos referret. Bella quot, Babylon, tuos
Preſſere cives! Proſequi fletu haud ſemel
Viſa es triumphos.

*Ar.* ,, Scire cupiendi modum
,, Laus prima regum eſt. Hæſit heu! quoties ratis
Illiſa ſcopulis, vela quæ ventis dedit
Nimium ſecundis. Numquam erit, id omnes ſciant,
Laceſſam ut armis finitima regna æſtuans
Amore laudis. Pacis, & recti tenax
Proprium tuebor. Læta confertos agros
Fluitare ariſtis, ludere innocuos greges
Hæc regio cernet. Pecora non miles rapax
Abiget: Virentes enſe non ſegetes metet:
Pingui nec olea, aut vite ſuccisa dabit
Alimenta flammis. Rex ero, & populi parens.
Jam perge.

*Aſ.* Juſſis obſequor.

*Ar.* Celerem nimis
Suſpende greſſum. Cor mihi inopino gelu
Diriguit; Ipſos quin fere ante oculos redit
Nocturna imago.

*Aſ.* Pelle, queis luſit ſopor
Umbras inanes, & tua, ut fortes decet,
Permitte ſuperis fata.

*Ar.* Danielem huc prius

Ar-

Arceſſe velox. Mox pari & cura, & fide
Inſiſte cœptis.
*Aſ.* Quid moras curſu obiicis
Jam concitato? „ Grandibus vilis timor
Sæpe obſtat auſis. (a)
*Ar.* Fretus aſſenſu Ducum
Populique ſtudiis, ſim licet regno imminens,
Metuere cogor.

## SCENA SECUNDA.

Artabanus, Beradan, Nadab.

*Beradan Artabani Filius Parentem ſuum ad moras omnes abrumpendas hortatur. Qua occaſione Beradan & Nadab arctiſſimam amicitiæ neceſſitudinem, quæ alteri cum altero erat, luculenta ſignificatione Artabano coram profitentur.*

*Ber.* GEnitor hic ducis moras?
Urbs tota veluti ſede dimota e ſua
Exiiit, & ultra protrahi, impatiens fremit
Sua vota. Verſis militum quamquam cohors
Tueatur haſtis Curiæ obſeſſas fores,
Repellit ægre plebis incurſum. Tuum
Ubique reſonat nomen.
*Ar.* Haud plauſu impari
Fremuere cives, cum triumphali via
Naba-

(a) *Diſcedit.*

Nabachus olim domita ab Aſſyria redit,
Spoliis onuſtus, rediit aut Solyma, trahens
Reſonante vinclo currui innexos duces,
Captumque Solymæ Regem. At o! fallax fides:
En ſubito in iram vulgus exarſit: furor
Impulit in arma dexteras: exul ſua
Rex ipſe ab aula petiit abreptus metu
Latebras ferarum.

*Ber.* Bellicæ heu! nimium appetens
Fuit ille laudis. Civium extortas opes;
Quin & cruorem largius, quam par erat
Effudit audax „ Regis in Cives amor
„ Cives tuetur, ſed magis Regem.

*Nad.* Meret
At ille veniam „ Martius recti modum
„ Egreditur ardor. Nequeo, dum mentem ſubit
Heros in orbe notus, & fama inclytus (a)
Cohibere lacrymas. Rumor infauſti exitus
Vix tetigit aulam Perſidis, lætos dies
Ubi Cyri Ephebos inter exegi puer,
Regale pectus, marte præſtantis viri
Movere caſus.

*Ar.* Flebile exemplum, meum
Deterret animum. Cauſa ſed gravior ſubeſt,
Cur ſceptra timeam.

*Ber.* Fruere, quamdiu id licet.
Perinde lege fata volvuntur ſua,
Revocanda numquam „ Levius inopina afficit
„ Ærum-

---

(a) *Naturalis erga ſuum Genitorem animi motus.*

„ Ærumna miſeros

*Ar.* Fœda ſi tantum meo
Procella capiti impendeat, præceps ruat,
Nil timeo. Diræ ſortis inſanus furor
Tibi parcat uni: pectore intrepido feram
Hoc quidquid eſt, quod inſtat: Auguſto comas
Auro revinctus impigro occurram gradu
Letho imminenti; dummodo imperii diu
Hæres paterni, libera Euphratem, & Tigrim
Ditione teneas; parvuli & circa latus
Placida ſequentis otia, & ſenio gravis,
Ludant nepotes.

*Ber.* Mene, quod patrius cruor
Infecit oſtrum induere? Non tanti æſtimo
Garamantas, Indoſque ſuper Imperii ultimos
Proferre fines, Solis & late domum
Subiicere utramque. Si mihi ad Superos viam
Patrium cadaver ſternat, aſtrorum incolas
Valere jubeam. Mitte ſed vanos metus.
Aſſyria capiam ſceptra, tranquillo exitu
Poſtquam ſupremum ſerus obieris diem.
Tunc vero id unum, dulce mihi fuerit [ Deos
Hominefque teſtor ] poſſe me donis tuam
Cumulare, Nadab, cognitam, ac longo fidem
Uſu probatam. Primus a Rege exiges
Obſequia procerum. Primus occulta imperj
Arcana noſcens, ſuppari elatus gradu
Populi regentem fræna conſilio reges.

*Nad.* Super omne donum cupio, gloria ne tuis
Quæratur ulla rebus; in partem voces

Quin

Quin me laboris. Bella, vel pacem geras;
Tibi comes adero. Te per abruptas ſequar
Rupes euntem, perque monſtriferas plagas.
Sequar, rigentes ſive percurras vias
Glacialis oræ; ſive propiori face
Solis peruſtas. Te ſequar Terræ ultimos
Ad uſque tractus.

*Art.* Fœdus ut ſocium pares
Vos junxit ambos, læta ſic jungat pari
Fortuna curſu. Accitus at Daniel gradum
Infert: abite.

*Ber.* Referam eo greſſus, frequens
Te ferre citius, quo cupit populus. Uale.

## SCENA TERTIA.

### Artabanus, Daniel.

*Daniel ſomnii narrationem intercipit, partemque illius præoccupat, ambiguis deinde verbis ſomnium interpretatur.*

*Ar.* Evolve fata, quæ mihi incertis ſopor
Portendit umbris: Munus inſuetum haud rogo;
Animo nec unquam munus acceptum excidet.

*Dan.* Niſi mihi inertem numine afflarit Deus
Propiore mentem, nube terrenà premor;
Eniti & illuc nequeo, ſupremi Arbitri
Mens ubi futuros temperat rerum exitus,
Suiſque cauſis nectit.

*Ar.* Ætherea cares.
Nunc luce, poſco quum tuam ſupplex opem:
At experiri liceat. Immanis leo
Ante ora viſus, placida quum ſomni quies
Mulceret artus.
*Dan.* Ungue qui primum irruit
Regale in oſtrum, mox truci impoſuit tuum
Diadema fronti; dente crudeli furens
Tua membra demum ſcidit, & pavidum in ſinum
Rictus cruentos merſit.
*Ar.* Ut narras, fuit.
Obſtupeo. Uiſa retegis at fruſtra; ſiles
Si quæ cavere debeam, aut prudens ſequi;
Quidve ira ſuperûm minitet.
*Dan.* „ Haud raro Deus
„ Occludit ora Uatum, ut in peſſum ruant
„ Conſilia Regum. Tenue per veſtigium
Sed ſaltem, ut aliquid mente conjectes, velim
Sæpius ut animo tacitus hæc tecum exigas:
(a) *Aſſyriæ late Genitor dominabitur aulæ,*
*Vnica cui ſoboles, quæ ſit tamen unica qnamvis*
*Heroum numerum ingentem virtutibus æquat.*
*Incolit hæc tecum regalia tecta. Parentis*
*Hæc breve poſt regnum, ſceptro potietur avito*
*Ar.* Blandis timentem, quæ tua eſt pietas, ſtudes
Ambire verbis. Sæva ſint quamvis, doce
Mea fata: clare eloquere: Rex ero; an ſecus?



(a) *Vaticinium anceps, quod poteſt, & ad filium Artabani, & ad filium Nabuchi referri.*

*Dan.* Eris. Rogare plura ne pergas. Deus,
Ecce Deus aſtat ore fulmineo minax,
Qui plura tecum, digitum ad os referens, loqui
Me prohibet; immo citius e tuo jubet
Conſpectu ut abeam. Juſsa confeſtim ſequor.
*Ar.* Regnabo; habenda ſi fides Vati. At breve
Regnum erit. Ab hoſtili cadam dextra; Huc leo:
Huc ſæva cædes ſpectat... Eſt porro meus,
Qui ſceptra capiet, natus... Hic nempe unicus...
Hic mecum in aula vivit... hic...

## SCENA QUARTA.

Artabanus, Aſaph.

*Aſaph jam convocatum eſſe Senatum Artabano nuntiat; præterea de rumore in vulgus ſparſo, quo Evilmerodach ipſa regali in aula latere ferebatur, ejuſque rumoris auctore, Artabanum certiorem reddit.*

*Ar.* AGe: quo loco
Sunt res?
*Aſ.* Coactus jam tui adventum manet
Senatus. Omni ex parte ſed lætum eſt nihil.
*Ar.* Mali quid affers?
*Aſ.* Rumor inopinus palam
Per ora ſerpit: vivere incolumem tua
Hac ipſa in aula regia Evilmerodach,
Quem regno acerba quiſque præreptum nece
Jam dictitabat. Pulſa ab Euris in leves

Ut

Ut flamma calamos undique excurſu celer
Accumulat ignes ignibus, ſecum obvia
Alimenta raptans; ſic recens fama hæc magis
Magiſque in horas crebuit poſt ſe trahens
Inane vulgus.

*Ar.* Fabulæ & quiſnam fuit,
Quis auctor?

*Aſ.* Ut puto: Daniel.

*Ar.* Aliter ſed hic
Mecum locutus nuper.

*Aſ.* Implexis tegit
Vocum involucris ſenſa: Res quoquo modo
Cadat, doloſum poſſit, ut nemo virum
Arguere falſi.

*Ar.* Turba ſed procerum approbat
Commenta vatis?

*Aſ.* Cauta ſuſtinuit diu
Aſſenſum; in illum viſa ſed tandem mihi eſt
Proclivis. Etenim ſacra quum ſimulet Deûm
Reſponſa vates; audeat quiſnam Diis
Fidem negare? Quid quod arduum eſt nimis,
Quum forte præceps agmine undarum ruit
In prona torrens, non rapi, & firmo pedis
Veſtigio obniti?

*Ar.* Ergo, me miſerum! ſpei
Huc ſumma recidit.

*Aſ.* Immo nunc melius tuis
Confide rebus. Namque quum turpi fuga
Ferarum in antra pulſus e regno Parens
Menti recurrat, Patris ultricem timent,

Et jure ſobolem.

*Ar.* An ulla Danieli excidit
Vox ore, pueri quæ ſit index, aut loci,
Puer ubi lateat?

*Aſ.* Nec loci indicium dedit,
Nec pueri. Inani fraude ſe juſſu Dei
Silere jactat: nempe ut occultet dolos,
Mediuſque nemo occurrat, obtendit ſibi,
Suiſque technis Numen.

*Ar.* O! fallax caput.
Quis poſſe fieri credat, ut vultu puer
Notus, tot oculos fallat? Annorum brevis
An curſus, alia prorſus ignota omnibus,
Induxit ora? Natus hinc annos decem
Abiit, & annos abſuit vix ſeptem... At hæc
Quonam redibunt?

*Aſ.* Augur hiſce te artibus
Arcere regno quærit: id quod ſi obtinet,
Lapidem movebit omnem, ut ad ſolium evehat
Sibi junctum amico fœdere. Aliena manu
Sic ille clavum flectet imperii. Statim,
Ne ſubeat igitur aliud ex alio malum,
Potire ſceptro.

*Ar.* Res ſita ancipiti in loco eſt,
Metum inter, & ſpem

*Aſ.* Cœpta fortunent Dii.

*Finis Actus Primi.*

ACTUS

# ACTUS SECUNDUS

## SCENA PRIMA.

Daniel, Nadab.

*Nadab timens ab Artabano, qui in ſuſpicionem Evilmerodach latentis in aula, venerat, animi ſui anguſtias Danieli retegit. Daniel eum blandis verbis ſolatur, eique regnum portendit, futuroſque eventus ſuboſcure indicat. Ambo colloquentes in ſcenam prodeunt.*

*Nad.* ES mihi parentis inſtar. Hanc animam tuis
Debere meritis fateor. Abii te auſpice
Aſſyria ab aula. Te auſpice huc retuli gradum
Incolumis. At nunc pectus exanimat metu
Inſtans periclum. Forſan in me ſi cadat
Suſpicio, quæ certe cadet; quid egens agam,
Inermis, exſpes? Navita, ut mota furit
Quum pelagus hieme; luce nec amica vias
Sueta retegunt aſtra, quo flectat ratem,
Incertus hæret: ſyrtibus claudi hic timet:
Illic doloſe, incurrere æquoreo in ſinu
Scopulos latentes. Jamque naufragium imminens
Qualibet in unda metuit. Haud mihi mens ſecus
Nutabit anceps: dona, fallaces dapes,
Comites timebo: ſæva nec quo me ferant,

Mea fata noſcam. Avunculi proh! quam fremet
Ambitio regni cupida! Quam fremet novis
Agitata ſtimulis! mitius tigris ruit,
Furitque in hoſtem, hyrcana maculoſum latus
Cui pupugit haſta.

*Dan.* Fræna qui pelago levi
Iniicit arena, ſydera & nutu movet,
Præſto erit, opemque rebus afflictis feret.
Nonne tulit huc uſque? Ille perfecit, tui
Species ut oris fallat obtutus, ſua
Nec lege, ſolis radius e vultu obvios
Incurrat oculos. Namque puerili ſatis
Non fraude tectus, aut comæ fuco illitæ,
Aut veſtis ignotæ fores. Vix hæc rudem
Fallant popellum. Summus inſiſtet viam,
Quam ſubiit Ultor; opere ab incepto manum
Non ante tollet, quam tibi antiquum decus
Reddat: Tyranni frangat & dirum caput.

*Nad.* Forſan ego rerum præſes, aſſyrii regam
Imperii habenas?

*Dan.* Terna ſed poſtquam ſeges
Cumularit agros.

*Nad.* Interim ſceptrum geret
Alius opinor?

*Dan.* Alius.

*Nad.* Et quis? Num mihi
Sanguine propinquus?

*Dan.* Sanguinis nexu quidem;
Sed magis amore junctus

*Nad.* An Beradan?

Dies

*Dan.* Dies
Hæc ipſa reteget. Dum tuæ at Superi parant
Diadema fronti, diſce virtutem ſequi.
„ Qui ſtatuit aliis jura, ſubducta eſt opus
„ Ratione vivat; ne quid incautum pedem
„ Avocet honeſti e ſemita. Occulti nihil
„ Tegit aula, moreſque Ducum ad exemplum, ſuos
„ Componit orbis.
*Nad.* Recta, quæ mones ſequar.
*Dan.* Antiqua non te decora Majorum efferant,
Titulique, opeſque „ Quiſque ſibi laudem ſuo
„ Labore pariat. Degener celſos avos
„ Oſtentat hæres. Stirpe ſic firma carens.
Humique reptans hedera, viridantes comas
Explicat in auras non ſuo implicitis fibris
Innexa trunco. Cupio ne memori tamen
Labatur animo Genitor infelix: cape
Documenta ab illo, quo ſit obſequio, & metu
Verendus ingens terræ, & aſtrorum Sator,
Regumque Domitor.

## SCENA SECUNDA.

### Artabanus, Daniel, Nadab.

(a) *Artabanus conatur conviciis, miniſque a Daniele ubinam Evilmerodach lateat, & quiſnam ſit ille, exſculpere. Daniel omnes illius conatus, arteſque ſagaci dexteritate eludit.*

*Ar.* PErfide inventor doli
Ambigua remove verba.
*Dan.* Sincere loquar.
*Ar.* Ubi novus hæres, arte quem ſimulas?
*Dan.* Ubi eſt
Quem ſimulo? Nuſquam.
*Ar.* At, eſto, quem verum putas,
Qua ſede nobis invia occluſus latet?
*Dan.* In luce, & oculis omnium ducit dies.
*Ar.* Finitima in urbe forſan? Aut fors...
*Dan.* Nil minus:
Babylone vivit.
*Ar.* Miror! Huc furtim gradum
Unde tulit? Et quis ille?
*Dan.* Nabucho ſatus.
*Ar.* Id quo revincis teſte?
*Dan.* Quo nemo magis
Fidem meretur. Antequam timidos redux
Greſ-

(a) *Regiis inſignibus ornatus prodit in ſcenam*

Greſſus referret, reducis oblata eſt mea
Imago menti, remque præmonuit Deus.
*Ar.* Latentis itane teſtis appellas fidem?
De facie an illum noſcis?
*Dan.* Id fruſtra rogas:
Ut memetipſum noſco. Puerilis coma
Imitatur aurum: lumina illius micant
Nativo ab igne: totus in vultu eſt Parens.
*Ar.* An alius illum vidit?
*Dan.* Alienos ſubit
Ignotus oculos. Quin frequens ſubit tuos,
Mihi notus uni.
*Nad.* =Corda ſubſiliunt metu=
*Ar.* Veterator effrons...
*Nad.* Odia repetitis probris
Moves quid ultra? Vera perplexis modis
Vates loquuntur.
*Ar.* Nonne portendit mihi,
Natoque regnum?
*Dan.* Jamque habes.
*Ar.* Populo interim
Obtrudis alium.
*Dan.* Qui tamen non te gradu,
Natumque moveat. Quippe non tibi imperj
Succedet hæres.
*Ar.* Ergo ſucceſſor brevi
Ubi nunc moratur jura regali dabit
Beradan in aula. Profero in medium fere
Tua ipſa verba.
*Dan.* Regia haud binos capit.

Cur

Cur hæc propinquum Avunculi adſciſcant genus
Regna, quibus hæres ſuppetit? Patrium feret
Diadema natus, patre qui melior, ſibi
Non Divûm honores lege ſacrilega petet.
Præibit alius, propera quem ſenio gravem
Mors tollet.

*Ar.* Itane varius haud conſtas tibi;
Ut quæ docebas nuper, hæc eadem neges?
Hac manet in aula, qui brevi Aſſyriam reget.

*Dan.* Et fateor iterum.

*Nad.* Comprime ambiguos ſonos.

*Dan.* Rem loquor, ut eſt.

*Ar.* Hunc jubeo confeſtim, ut mea
Ante ora ſiſtas.

*Nad.* = O! Dii o! nunc promptam opem
Mihi ferte =

*Dan.* Fruſtra Regiæ excurram domus
Latebras in omnes. Ipſe, quem coram vides,
Ipſe eſt, vel alius nemo.

*Nad.* Ego! haud equidem inclyto
Honore dignor.

*Dan.* Cerne regales genas
Qui decor honeſtat! quantus ex oculis micat,
Teneroſque vultus aſperat Martis rigor!

*Ar.* Illudis etiam? juſſa vel fac, vel dabis
Inique pœnas. Subiget invitum dolor
Quodcunque celas, edere.

*Dan.* Æternum, ut puto,
Silere coget.

*Ar.* Ante ſed coget loqui.

Poſt

Poſt latera adulta, viſcerum vulſas fibras,
Conciſa ferro membra; mors laceros diu
Errans per artus, ſera tibi rapiet diem.
*Dan.* Sæva hæc initia,mortis imminuent metum.
*Ar.* Magnifica reprimet verba lictorum furor.
*Dan.* Forſan repreſſus illico cadet furor;
Leonum, ut olim, qui meum affuſi ad latus
Jacuere reſides; patrium obliti nemus,
Lybicaſque arenas. Viſus a te ſed leo
Frendens, furenſque, totus & prædæ incubans,
Saturabit iram pariter, & longam famem.
*Ar.* Mea fata nunc demum explicans, veteri novos
Stimulos dolori ſubdis. At ſæva omina
Laruaſque diræ noctis,oblata inferis
Victima piabis, ore ni retegas, tegis
Quas corde fraudes. Necto quid vanas moras?
Huc aliquis.(a)Hoc monſtrū avehite. Clauſū ge-
Tenebroſo in antro. Morte vel acerba cades;[mat
Tacitos vel imo e pectore extundam dolos.
*Dan.* Quis te furor agit? Numinis vindex manus
Jam tela nectit arcui, & demens, caput
Opponis ultro. (b)
*Ar.* Perge. Latebroſo in ſpecu
Diuturnus augurem ſuum excipiet ſopor.

SCE-

(a) *Accurrunt Excubitores.*
(b) *Diſcedit ab excubitoribus abreptus.*

## SCENA TERTIA.

Artabanus, Nadab.

*Vires omnes exſerit Nadab, ut a ſuſcepto ſæviendi in Danielem conſilio Artabanum deterreat; ſed fruſtra.*

*Nad.* Fatidicus Augur, proximum Divis caput,
Sacrilego ab enſe occumbet?
*Ar.* Ulciſci ratum eſt.
Contende potius arte, conſiliis, prece,
Ut mea faceſſat juſſa. Si renuat; luet
Cruore pœnas.
*Nad.* Precibus eſt ſi quis locus;
Furentis animi ſuſtine effrænem impetum,
Mentemque ſubeat Populus indignans tuum
Immane facinus. Quodque gravius eſt, Tonans
Futurus ultor.
*Ar.* Pergis audacter loqui?
Abi hinc ab oculis.
*Nad.* Generis o! noſtri pudor.
Genus eſt ferarum mitius. Cæco gradu
Sævam verendi capitis in cædem ruis,
Cui grex pepercit lybicus.
*Ar.* Et non hinc abis?
*Nad.* Illum tuebor ſoſpitem; aut moriar. (a)
*Ar.* Meum,

Quiſ-

(a) *Diſcedit.*

Quiſquis leonum meminit, immiti manu
Attrectat ulcus. Pectori o! noſtro ſedens
Terrificæ imago noctis.

## SCENA QUARTA.

Artabanus, Aſaph.

*Aſaph rumorem magis, magiſque percrebreſcentem de Nabuchi filio in ipſa Babylonis regia latitante, imminenſque ex illo publicæ conjurationis periculum Artabano inculcat, eumque ad mortem Danielis celeriter decernendam extimulat. Nadab prætereæ ut pote Danielis familiarem in ejuſdem criminis ſuſpicionem adducit.*

*Aſ.* INvaluit recens
Sic fama, votis nullus ut ſit jam modus:
Quærit latentis vulgus huc, illuc ruens
Indicia pueri. Noſſe quem fruſtra ſtudent;
Latebris doloſis regiæ occludi domus
Putant, nec aliter poſſe tot vigiles, diu
Decipere curas. Utque, quod quiſquis cupit
Sermone celebrat; juvenis ingenium, decus,
Moreſque laudant. Narrat hic celeres equos
Quam bene, tenella cogeret frænos pati
Dextra: ſagittas ille, quam certo in ſcopum
Dirigeret ictu: memorat hic lepidos ſales:
Attonitus hæret ille, quæ deceant viros
Reſponſa memorans. Adde quod cinere excitus,

Pro-

Proliſque redivivus amor, in Patrem illico
Reſtinxit odia. Rebus in lapſum, ſtatim
Occurrè,pronis. Vix in adverſam ratem
Crebreſcit aura, navita obliquat ſinus,
Primumque anhelans littus, undarum moras
Urget frequenti remige.

*Ar.* At ſtultæ labant
Conſilia plebis, ſe niſi adjungat ducem
Vir genere præſtans.

*Aſ.* Ergo ſit primus labor
Ambire proceres. Dona tueantur ſua,
Quæ tibi dedere ſceptra.

*Ar.* Tuque, quod tui eſt
Muneris, in urbe qua patet cumque exitus,
Diſpone vigiles.

*Aſ.* Timeo ne furtim dolus
Sub ſpecie honeſti tentet alienam fidem.

*Ar.* Quid augur inquit militum abreptus manu?

*Aſ.* Clamabat audax: perge in occurſum tui
Feſtiva Babylon Regis; amplexus para,
Lætoſque plauſus: rediit: en colubros manu
Megæra quatiens, acta præcipiti gradu
Irruit in aulam: mordet en frendens humum
Ambitio demens. Plura jactanti, ſequax
Fremitu ſecundo turba plaudebat. Quid hunc
Pateris inultum? Juſſa mors, vatis premat
Mendacis ora.

*Ar.* Exſculpſerit poſtquam ferox
Laniena, quidquid fraudis abſtruſum tegit,
Illico revellet enſis infidum caput.

Mo-

*Aſ.* Moras quid ultra quæris?
*Ar.* Admonitus Diis
Omnia cavere cogor.
*Aſ.* Ingenio Deos
Sibi quiſque confingit ſuo. At ſaltem diem
Non ante mergat æquor; impia quam cadat
Succiſa cervix concitæ ſecum trahens
Spem plebis. Hanc dicto ocius reprimi eſt opus
Animis furentem; ne furor totam illico
Corripiat urbem. Putre ſic ægro in pede
Si forte tumeat ulcus, eſt ferro ſtatim
Reſecanda ſanies; ne lue aſperſus fluens,
Refluenſque ſanguis, cætera in membra invehat
Lethale virus. Fide nec nimium levi
Procerum favori. Nomine ignotus licet
Arenſque fluvius, hieme nimboſa tumens
Si clauſtra reſono gurgite exſuperet ſua,
Huc celer, & illuc obicis impatiens ruit;
Nec nemora tantum raptat, & viles ſpecus;
Celſa ſed etiam mole conſpicuos, vigil
Quos cura Regum, artiſque præclarus labor,
Objecit arcus. Nullus atque utinam tua
Viveret in aula Vatis occultus comes,
Fraudumque ſocius!
*Ar.* Profer actutum: quis hic?
*Aſ.* Nadab frequentat tacitus ipſius lares,
Ipſumque laudat, ſequitur.
*Ar.* Hinc illæ preces:
Hæc illa pietas. Spectat huc populi furor
Objectus animo nuper, atque ultor Deus.

Non ſic abibit crimen. Admota interim
Sed vis equulei coget invitum augurem
Retegere fraudes. Quotquot agnoſcam reos
Involvet eadem pœna. Me populus brevi
Timere diſcet. [a]

*Aſ.* Pereat hoc vatum genus
Fatale regnis; quippe ſimulantes Deûm
Alloquia, turbant omnia, & primos ſibi
Poſcunt honores: pereat inviſum genus.

*Finis Actus Secundi.*

ACTUS

[a] *Diſcedit.*

# ACTUS TERTIUS

## SCENA PRIMA.

Artabanus.

*Secum ipſe queritur nulla arte, nullaque tormentorum vi potuiſſe ex Daniele verum exſculpi.*

*Ar.* Furore Oreſtis major exagitat furor,
Laniatque pectus. Siccine illudi ſinam?
Sic ſceptri inane pondus hanc dextram gravet?
Ars nulla potuit cordis infidi intimas
Reſerare latebras; Nulla vis. Victor feret
De me triumphum, vile mancipium? Huc rue
Redimita colubris dira furiarum cohors,
Poenaſque poſce: funera, & cædem volo,
Quam ſtupeat erebus atra pœnarum domus:
Minos nec illi ſupparem inveniat diu
Scrutatus urnam. Renuis, an vecors meis
Parere juſſis? ſolus in cædem ruam
Mihi ſatis unus... Quo feror demens? Necem
Si ſubeat Augur, unda præcludet ſtygis,
Orbiſque ſuperimpoſitus arcanum teget:
Æger ego, & anceps tranſigam mæſtos dies,
Comeſque lateri gelidus hærebit metus.
Timebo pateras inter, & lætas dapes
Ne ſæva furtim pocula inficiat manus;

Sive in receſſu regiæ captem domus
Lentus ſoporem ; ſive per longa atria
Curis ſolutus ſpatier : occultos dolos
Timebo : ubique tutà me inſidiis petet
Latentis æmuli ambitio : nuſquam ſatis
Fraudes cavere potero. Proh ! dirum caput,
Sacrilege vates ; itane præſidio tuum
Tibi crimen erit ? Immanitas ſceleris, ſcelus
Impune reddet ? Morere. Te forſan ſequar ;
Sed non inultus.

## SCENA SECUNDA.

Artabanus, Aſaph.

*Nuntianti Aſaph iam ſtationarios milites viarum exitus occupaſſe, Artabanus imperat, ut confeſtim acerbiſſimo mortis genere, Danielem puniat.*

*Aſ.* URbis inſedit vias
Statione Miles.
*Ar.* Perge. Danielis ſtatim
Populetur artus omne ſupplicii genus :
Rotas, faceſque congere : inſuetum modum
Cædis repoſco Regis ingenio parem
Flagrantis ira : membra diviſim ſeca :
Ferro recluſa viſcera irroret liquens
Fervor metalli : latera nudata æneus
Percurrat unguis : cæde non una lacer
Poſtquam ſubierit fata, reſciſſum illico

Mihi caput affer. Liceat o! ſpirans adhuc,
Trepidumque.

## SCENA TERTIA.

Artabanus, Nadab, Aſaph.

*Nadab Arta banum loquentem interpellat, utque remotis arbitris ſibi cum ipſo loquendi facultas detur, poſcit, & impetrat. Aſaph Regis juſſu ſecedit, commiſſumque ſibi munus differt.*

*Nad.* SUpplex poſco, ut...
*Ar.* Huc Nadab gradum
Audacter inſers? Vatis an manes cupis
Sequi cruentos, ſceleris, & fati comes?
*Nad.* Vt huc ſubirem, me gravis cauſa impulit;
Quin & coegit: Commoda, id ſupplex rogo,
Aures loquenti.
*Ar.* Loquere.
*Nad.* Sed per te arbitris
Liceat remotis.
*Ar.* Hinc refer greſſum, & mea [a]
Exequere juſſa.
*Aſ.* Totus operoſæ neci
Adiiciet animus ſe ſe.
*Nad.* Inaniter loquar,
Si juſſa properet. Ante; nam brevis eſt mora,
Mea dicta patiens excipe.



[a] *Ad Aſaph ſermonem vertit.*

*Ar.* Excipiam. At cave,
Compreſſus ægre recidat in te ne furor:
Et æqua jungat pœna, quos junxit ſcelus.
[ ] Secede. (b) Cauſæ detur egregiæ locus;
Brevi redibis.

## SCENA QUARTA.

### Artabanus, Nadab.

*Nadab conſulendi ergo vitæ Danielis, ſe eſſe Evilmerodach Nabuchi filium, Artabano retegit, idque regio annulo, quem fugiens ſecum aſportaverat, confirmat. Sed Artabanus ſuiſmet oculis, quam dictis alienis magis fidens, vultus immutati ſpecie deceptus nullam illi fidem habet.*

*Nad.* Miſera Nabuchi eſt mihi [ſibi.
Sic nota ſoboles,; notus ut quiſque eſt
*Ar.* An vera narras? Retege. Quid nectis moras?
Meritum rependam præmium.
*Nad.* Retegam. At bene
De te merenti poſco, ut hanc reddas vicem:
Ignoſce Vati: quin & antiquum in gradum
Reſtitue lapſum.
*Ar.* Ignoſco: reſtituo libens;
Age jam
*Nad.* Sed ante detur ignotum illius
Quam noſſe vultum, noſce conſilia. Haud cupit

Avi-

(a) *Imperat Aſaph diſceſſum.*
[b] *Ironice dictum.*

Avita jura perſequi, & ſceptro potens
Aſſyriæ habenas flectere, expertus ſatis
Paterna in aula; quam ſit inſidiis patens
Conditio regum. Sæpe fundentem audii
Hos ore queſtus. Dexteræ fallax decus
Regalis auri pondus heu! quantis emit
Ambitio curis. Cogit heu! quoties ſuum
Timere Dominum. Miles auratas licet
Tueatur ædes, tacitus irrepit timor,
Umbræque comites inde tranquillos procul
Arcent ſopores. Bella ſi circum flagrant,
Noctu recurrens diſcutit ſomnos leves
Clangor tubarum. Bella ſi ceſſent, doli
Fraudeſque ſubeunt. Ipſa curarum quies
Conceſſa Divûm munere haud curis vacat.

*Ar.* Conſilia laudo. Retege jam . . .

*Nad.* Nunc quid roget
Audire libeat. Nil niſi agreſtes lares,
Latebraſque viles, tutus ubi lateat ſpei,
Metuſque liber, dente non illum petat
Æger ubi livor: dira vel regni ſitis
Sævire in alios cogat. At lente fluens
Per arva rivus, avibus aut reſonum nemus,
Aut purus æther; labis expertem intimo
Perfundat animum gaudio.

*Ar.* Et differs adhuc?
Vocumque inepta ambage regales tenes
Vaniloquus aures?

*Nad.* Genibus allabor tuis.
Quem quæris, adſum. Me tua, infelix Pater

Cara ex ſorore genuit. Hæc per me rogat:
Vertas ut ora placidus, & pignus ſui
Incolume ſerves. O! ſi adhuc vita fruens
Te coram adeſſet.

*Ar.* Tune, tu Regem audeas
Decipere mendax? Hiſce, quem ſequeris ducem
Sceleratus au gur, hiſce te inſtituit dolis:
Has docuit artes.

*Nad.* Si fidem dictis negas;
Hanc cerne ſignis aſperam gemmam, nitet
Ubi ſtemma patrium. Exul hanc mecum tuli
Aliena peragrans regna.

*Ar.* Sed quiſnam dedit?
Num tibi paravit cæde prædatrix manus
Regale ſpolium? Plebis a te num puer
Tumultu in illo cæſus occubuit? = necem
Subiiſſet utinam = Tu ſiles. Loquitur ſatis
Demiſſa tacitus ora ſuffundens pudor.

*Nad.* „ Hæret inopino ſceleris objectu inſcia
„ Mens ſceleris, & recti ſequax. Crimen reos
„ Facit diſertos.

SCE.

## SCENA QUINTA.

### Artabanus, Nadab, Aſaph.

*Aſaph reduci in patriam Ariſbæ olim Evilmerodach cuſtodi, & altori acceſſum ad Regem obtinet. Quamobrem lætatur Nadab ſperans eum ſibi futurum veritatis, pro qua contendebat, probatiſſimum teſtem.*

*Aſ.* PErſide in Patriam redux
Ariſba dextræ ad oſculum admitti cupit.
Multa ille circa regiæ prolis fugam,
Moreſque narrat.
*Nad.* Auſpice huc Cœlo appulit.
Hoc teſte dictis certa conſtabit fides.
*Ar.* Arceſſe (a)
*Nad.* Lætor. Tota, quem penes eſt rei
Comperta ſeries, neſciam exſolvet brevi
Errore mentem.



(a) *Diſcedit Aſaph.*

## SCENA SESTA.

### Artabanus, Nadab, Ariſba.

*Ariſba, quippe qui nullum veteris formæ veſtigium in Evilmerodach videt, non ſolum illum non agnoſcit; verum etiam numquam noviſſe teſtatur. Fruſtra conatur Nadab variis argumentis, & præſertim Epiſtola a Daniele accepta eum convincere. Qua tamen Epiſtola commotus Artabanus Danielem arceſſiri imperat.*

*Ariſ.* REbus aſſyriis Tonans
Quem præſidere juſſit, en poſito genu
Gaudens adoro. Turbat at mixtus dolor
Gaudia. Nitentes non tibi ornaret comas
Regale ſertum; fama niſi mendax foret,
Quæ mihi regreſſo nuper in Patriam, tulit,
Rediiſſe pariter Regis heu! miſeri unicum
Germen ſuperſtes.
*Ar.* Rediit, en aſtat. Vide.
Cur dubius hæres?
*Nad.* Lateris o! noſtri comes
O! fide cuſtos patere, ut amplexus petam.
*Ariſ.* Quos priſca coluit, noſtra longævos ſenes
Deridet ætas: jamque dedecori eſt diu
Traxiſſe vitam
*Nad.* Mene quem veneror, cui
Debeo quod aura veſcor, inſanis jocis

Ex-

Excipere rèducem?

*Ariſ.* Tu mihi acceptum refers
Quod vivis? Ego te, jure jurando aſſero,
Numquam ante vidi.

*Ar.* Mente fors pueri excidit
Dilapſa ſpecies.

*Ariſ.* Hæret infixa altius
Vivax imago, nulla quam perimat dies.
Illius in ore patrius effulget rigor,
Matriſque blandus fulget ex æquo decor:
Temere fluentes terga circumdant comæ,
Humeroſque ſummos. Talis inceſſu fuit
Geſtuque, & ore, coluit arcitenens Deus
Quum regna dives amne, quæ Peneus ſecat;
Vel quum curuli nube, Saturno in fugam
Pulſo, triumphans Juppiter Cœli arduas
Conſcendit arces. Plura quid memorem? Tuus
Nil ſimile præfert vultus.

*Nad.* At quid ſi alteri
Cuique ab illo, prorſus ignota efferam,
Retegamque?

*Ariſ.* Inanem, pignori oppono hoc caput,
Impendis operam.

*Nad.* Poſtquam in abruptas ſpecus
Mutatus ora fugit infelix Parens,
Cyri ſuperbam, te duce, invitus licet
Perrexi in aulam. Glaucia ibi Regi intimus
Excepit ambos. Hic tibi intacta fide,
Notuſque veteri amore, me puerûm ſtatim
Retulit in album, ſyrma qui late fluens

Dol-

Tollunt ſequaci dextera, obſequio, & colunt,
Propiore Regem.

*Ariſ.* Facta non equidem nego.
Sed tibi doloſe hæc tribuis. Hæc aliis patent.

*Nad.* Fors mihi doloſe tribuo: fors aliis patet
Quod huc retulerim, unde extuli eoo affabre
Sculptum in lapillo ſtemma regalis domus?
At nuper hoc Regi dedi.

*Ar.* Eccipſum. Aſpice.

*Nad.* Fors mihi doloſe tribuo: fors aliis patet,
Juſſu ſacrati Vatis huc celeri gradu
Quod clam redierim? Cerne Danielis manu
Hæc exarata eſt pagina. Ut redeam monet
Comitante nullo: petere ſic Regni bonum;
Sic velle Superos: miſit hanc Daniel, procul
Cum forte abeſſes, & tibi injunctum grave
Glaucia ab amico munus, extremas plagas
Perſidis obire cogeret.

*Ar.* [a] Quorſum attinent
Hæc verba? Quorſum? Petere ſic Regni bonum,
Superoſque velle! Quiſquis es larvam exue.

*Nad.* Hanc exuiſſem. At eſſe me, qui ſum, negat
Mendax Ariſba.

*Ariſ.* Denegem an meis fidem
Oculis? Alumnum an Altor ignoret ſuum?

*Ar.* An ego ſororis filium? I, perge, Augurem
[b] Arceſſe. Melius capita ſcrutabor doli.

SCE-

---

(a) *Poſtquam attente legit Epiſtolam.*
(b) *Diſcedit Ariſba.*

## SCENA SEPTIMA.

Artabanus, Nadab.

*Artabanus blandis verbis Nadab, quem ſimulare putat, ad ſincere retegendam rem, ut eſt, inducere conatur.*

*Ar.* DEſiſte cœptis. Perſequi eſt fruſtra, nequit
Ulla quod arte confici.
*Nad.* Nonne attuli
Documenta....
*Ar.* Sed quæ? Nomine inſcripta eſt tuo
Epiſtola, & fors incidit caſu in manus
Tibi gemma. Quod ſi cæde puerili, ut puto,
Hanc tibi paraſti; ne time. Nullum eſt ſcelus
Ubi cauſa poſcit publica inſontem reo
Æquare; quin & clade populorum decus
Patriæ tueri. Quanta Babylonis foret
Quam fœda labes, ungue ſi bifido Patrem
Sequeretur hæres, fieret & ſpatio brevi
Noſtros bubulcus ageret, ut circum fora
Reges gregatim! Pande, quod laudem meret
Illuſtre facinus.
*Nad.* Is ego ſum, ut dextram putes
Laudem mereri, quæ meum in jugulum furens
Impulerit enſem? [a] Scilicet Patriæ id ſalus:
Id

[a] *Ironice & amare dictum.*

Id cauſa poſcit publica. At quid ſi tuum
Graſſator alius, publici obtentu boni
Natum trucidet? Quiſque mentita ſcelus
Obtegit honeſti ſpecie; ut inviſum, ſibi
Minuat pudorem

*Ar.* Somnia hæc tandem excute.
Pietate noſtra fruere, dum per me licet.

*Nad.* Proh! dira pietas.

*Ar.* Dona ſic ſpernis mea
Ingrate, demens? Sed cave: ulciſcar brevi,
Tuæque latebras fraudis in lucem eruam.

*Nad.* Nil timeo.

## SCENA OCTAVA.

Artabanus, Nadab, Daniel.

*Daniel captioſas Nadab interrogationes, & Artabani Epiſtolam in medium proferentis, redargutionem caute eludit. Repetit deinde ſuum carcerem. Nadab etiam Artabani juſſu in vincula coniicitur.*

*Nad.* Daniel jam palam feci, diu
Quod ante ſilvi. Servet an quiſquam tui
Capitis periclo, quam tibi obſtrinxit fidem?
Fatere ſponte, cardine hoc rerum, quod eſt
Obtegere fruſtra.

*Ar.* Regis illuſtri ſatum
Se ſtirpe jactat.

*Dan.* Cujus? An Cyri? At gradus

Quem

Quem Cyri in aula obtinuit, haud puerum decet
Regis propinquum.
*Nad.* Non vacat levibus moras
Traxiſſe nugis.
*Dan.* Deſinam actutum loqui;
Ne ſim tibi gravis.
*Nad.* Pauca te Daniel rogo:
Reſponde paucis. Mene Nabucho negas
Fuiſſe genitum?
*Dan.* Non nego.
*Nad.* Affirmas?
*Dan.* Neque hoc...
Tibi ipſe locuples teſtis es. Cur me rogas?
Cur non Arisbam? Quemque de populo potes
Adhibere teſtem. Namque nemo eſt, quem decor,
Puerique vultus lateat.
*Ar.* Ex te ſed libet
Audire. Profer ipſe quid tecum putes.
*Dan.* Quod tueor oculis, hoc puto. Haud illum refert
Habitu, nec ore: fronte non torva eſt minax:
Non celſus humeris: non pari inceſſu movet
Greſſus; nec oculos igne ſuccendit pari
Inſuetus ardor. Primus aſpectus probat
Non eſse, quem ſe fingit.
*Ar.* At quem ſe negat
Illum revincit mortis illatæ reum,
Hic, quem gerebat, annulus, pueri arguens,
Cædem peractam. Fraude ſe implicuit ſua:
Qua ſtruere voluit arte, patefecit dolos,

Sunm-

Suumque crimen.

*Dan.* Falleris: vitam trahit
Puer ille ſoſpes.

*Nad.* Adde quod diſtat tua
Non procul ab aula, quod tua ignotus ſubit
Lumina. Repetere mente ſi memori velis
Audita; Vatis illico in quemnam cadant
Hæc verba noſces. Dubia nec tibi mens labet,
Quod videar alius. Arte divina potens,
Suoque fretus Numine, hæc Daniel agit
Portenta rerum.

*Dan.* Non ſpecu anguſta latens:
Non ære gemerem preſsus, hæ mihi ſi forent
Artes: cavere militum armatas manus,
Oculoſque poteram, non mea extemplo induens
Mutatus ora.

*Ar.* Sed lege has ceras (a). Gravem
Hæ ſuſpicandi dant locum.

*Dan.* Inſcriptas tibi
Has video Nadab.

*Ar.* Advenam at tanti eſt gradum
Cito huc referre, petat ut id regni bonum
Commune, Superique jubeant?

*Dan.* Telas acus
Cum docta pingit, nil niſi implexas vides
Vario recurſu ſtaminum ambages: tegit
Averſa facies quippe, palladius labor

Quæ-

(a) *Exhibet ipſi ſuam met epiſtolam.*

Quæcumque fingit; tela ſed poſtquam jugo
Reſecta gemino, divitem ornarit domum,
Obverſa frontem: cernis aut denſum nemus,
Virideſque latebras, tergà frendentis Suis
Ubi premit Umber, jamque Venator manum
Erigit in ictum: ſanguine aut pelagus rubens
Galeaſque, & haſtas volvere, ac timidam Thetim,
Glaucaſque ſocias trepido anhelantas metu,
Latitare in alga. Magna quæ orditur Deus,
Mens noſtra ſæpe cæco ab eventu putat,
Cauſiſque gigni, ſtulta quas nectit ſimul
Fortuna. Series ordine at poſtquam ſuo
Se tota rerum explicuit; æternæ patent
Conſilia mentis. Reditu ab hoc forſan quies
Aſsyria pendet, ſcire quamprimum potes
Hujus ope: [ Dictis namque ſe illaqueat ſuis ]
Cui ſceptra debes,

*Ar.* Sceptra debeo! ſic tuo
Sic Rege coram?

*Dan.* Carcerem en repeto libens.
Præcurro juſſa. Quantulum humanæ at queant
Vires docebit Numen. Inſtat jam prope
Fatalis hora. [a]

*Ar.* Tangit en noſtros metus,
Refricatque vulnus. Tu potes Nadab meas
Lenire curas. Loquere

*Nad.* Quid fruſtra loquar;

Nul-

(a) *Diſcedit.*

Nullam loquenti ſi fidem præbes. Tenes
Qui ſim : alius eſſe nequeo.
*Ar.* Veſanum caput
Volveris eodem. Trudite hunc etiam in ſpecum
Pœnas daturum. Utrumque noſtra non minus
Periiſſe refert : Alter hoſtem ſe facit :
Tuetur alter (a)
*Nad.* Moriar, & gravius quod eſt,
Pretium omne mortis auferet Daniel comes.

*Finis Actus Tertii.*

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE ROMA

ACTUS

[a] *Diſcedit.*

Digitized by Google

## Errata notabiliora ſic corrige.

*In Argumento.*

| | | |
|---|---|---|
| Sub fin. | Ipſumo | Ipſum |

*In Tragœdia.*

p. 30. Quid Augur inquit militum &c.
Quid ſtultus Augur militum &c

| | | |
|---|---|---|
| p. 60. | cierat | Celerat |
| p. 62. | libere | Libere |
| p. 65. | Te ubit | Te ſubit |
| Ibid. | Obfidem | Obſidem |
| p. 68. | AndeP | Pande |

Digitized by Google